

*30 Aug.*  
DE

# RADICE RHEI.

DISSE~~TATI~~  
DISSERTATIO INAUGURALE~~S~~  
QUAM  
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE  
IN  
UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA  
**DORPATENSI**

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINA

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**Victor ab Auer,**  
Vilnensis.



---

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUAE J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIESENI.

MDCCLIX.

VIR O

HUMANISSIMO, DOCTISSIMO

Dr. EDUARDO HAFFNER

RECDORI MAGNIFICO HUJUS UNIVERSITATIS EME-  
BITO, A CONS. STAT. ACTUALI, NEC NON MULTORUM  
*IN SIGNIUM EQUITI*

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATIO QUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

I m p r i m a t u r

haec dissertatione, ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit,  
numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros  
explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XVII mens. Maij a. MDCCCLIX.

Dr. Buchheim,

ord. med. h. t. Decanus.

NF 145.

(L. S.)

1850

821730

## **Prooemium.**

Sicut plantae plurimae, jam inde ab omni tempore rebus therapeuticis adhibitae, in medicamentorum copiam fortuito receptae, earumque nomina ex iis, quos praestabant, effectibus deductae sunt, ita et nomen Rhei a verbo graeco (*ρεω*-fluere), id quod et ipse testatur Linné, quem ex Rheo abdominis effluvium efficiatur, derivatum esse videtur.

Fuerunt, qui, hoc nomine contenti; quod vim simul gravissimam usu probatam indicat, Rheum minime quidem negligenterunt, sed potius ratione botanica inter materias medicas numerarent atque describerent, adjectis simul, quae in eo inerant, virtutibus propriis. Quodsi aliae quoque ultra institutae sunt de Rheo disquisitiones chemicae, primi tamen Schlossberger et Doepping<sup>1)</sup> extiterunt,

quorum commentationes de Rheo editae revera ad artis praecepta revocari possint. Sed viri illi doctissimi, quum ex ratione magis chemica proficiscerentur, rem ipsam parum nobis explicatam atque exhaustam reliquerunt.

Hoc quidem tempore non ea tantum opera datur, ut, quibus ex elementis materiae iudiciae sint compositae, satius cognoscatur, sed imprimis etiam, ut partes earum efficaces inveniantur. Propositis igitur, quae insequuntur, disquisitionibus meis, hoc velim inde appareat, quatenus equidem, quamvis non prius in ea re versatus, studiis in explorando Rheo collatis suffecerim.

Jam Dres Lieber<sup>2)</sup> et Meykow<sup>3)</sup>, viri doctissimi, plurimum in eo opere posuerunt, ut efficacem Rhei partem separarent: quam ad instituendam disquisitionem pharmacologicam uterque eorum adductus est, ut extracto, tamen alcoholico uterentur.

Antequam aggressus eram, disquisitiones meas, haud supervacaneum mihi visum est,

resinas illas, quas Schlossberger et Doepping ex Rheo extraxerant, Phoeoretinum, Aporetinum, Erythroretinum aliquatenus respicere atque ad ea referre, quae ex meis ipsius investigationibus nactus eram, quum ipsi illi viri. Phaeoretinum, quum explorarent, simulac fervescentium esset, vapores flavi coloris emittere cognoscerent. Hinc acidum chrysophanicum in Phaeoretino inesse significatur, ad quod separandum omnes, quos illi inierant, conatus ad irritum redacti sunt, eoque magis, quum proximo tempore Warren de la Rue et Hugo Mueller<sup>4)</sup> acidum chrysophanicum in Benzoleo facillime solvi, eoque potissimum adhibito, ex Rheo extraibi posse testentur. Mihi quidem contigit, ut et adhibita destillatione sicca et infuso Benzoleo acidum chrysophanicum ex illo extraherem, residente amoto Benzoleo substantia crystallina.

Itaque adhibito Benzoleo viam me reperisse mihi visus sum, quae nisi eam mihi praeberebat rationem, qua efficacem Rhei materiam investigarem, at eam tamen haud dubie,

2) De radice Rhei. Dissert. inaug. Dorpati 1853.

3) Comparatae de radice Rhei alisque quibusdam substancialiis investigationes. Diss. inaug. 1858.

4) Chemisches Centralblatt. 1858. Nr. 36.

qua' materiam resinis a' Schloßberger' et  
Doepping' inventis simpliciorē adipisceret.  
Quum vero omnes viri doctissimi, qui de ea  
re quaerebant, investigatiōibus suis extractum  
modo alcoholicum adhibuerint, quimque Dr.  
Meykow' conjecterit, adhibitō alcoholē non  
omne ex Rheo elementum efficax extrahi posse,  
id quod et ipse Dr. Sawicki<sup>5)</sup> docuit, — ad-  
ductus equidem sum, ut si qua fieri possēt  
comparatio cum extracto aethereo ac praecipue  
aquoso, in quo potissimum posteriore versatus  
erām, rationem quoque alcoholis op̄e institūtam  
ingrederer.

Quam ob rem in iis, quae seqnuntur, ra-  
tionem ac viam, quam tribus his extractis ad-  
hibuimus, addito simul eo effectu, quem sub-  
stantiae a me paratae provocarunt, uberiū  
describam, adjunctisque iis, quae inde concludi  
possunt, commentationi meae finem' im-  
ponam.

Ad conscribendam hanc disquisitionem,  
quam de Rheo institui, a Buchheim, pro-

fessore illustrissimo hujus universitatis, p̄ae-  
ceptore meo dilectissimo et maxime venerando,  
consilio ac re me adjutum esse palam fateor  
simulque adducor, ut gratias, quam maxi-  
mas integerrimasque possum, grata et si-  
cera mente ductus, hoc loco ingenue per-  
solvam.

---

5) Quaedam de efficaci foliorum Sennae et rad. Rhei subst.  
disq. Diss. inaug. Dorpati 1857.

**P**riusquam ad explorandas, quae ex Rheo sunt extractae, substantias aggrediar, non possum, quin ad moneam, tria antea me experimenta instituisse.

(*Experimentum 1<sup>o</sup>*). Pulveris radicis Rhei Chinensis grana XX, quam a me sumpta essent, interjectis octo horis alvum unam, undecim post horas alteram fluidam provocabant, comitante simul colica.

*Exper. 2.* Injectis intestino recto duabus aquae unciiis, nullus apparuit effectus ad alvum evacuandam.

*Exper. 3.* Injectis intestino recto unciiis duabus infusi aquosi radicis Rhei, ex gr. XX paratis, post trea fere horas alvum fluidam movebant, accedentibus borborygmis, levibusque doloribus coliciis.

#### A. Tractatio adhibito aethere.

Unciae tres pulveris radicis Rhei Chinensis tamdu aetheris ope extractae sunt, quoad aether flayo etiam co-

---

6) Omnes, quae deinceps sequuntur, doses significatae post alvum normalem, quae tempore semper matutino emissas est, adhibitas sunt.

lore tingeretur, deinde liqüorem purum separatim defudimus; tum, destillato aethere, residuum in lagena retorta evaporavimus.

*Exper. 4.* Hujus extracti grana V sumpsi, nullo postea percepto effectu: deinde adacta dosi gr. XX deglutivi, quae et ipsa omni ad alvum effectu carebant, nisi in urina tantum, adjecto kali nitritio; tribus post horis color leviter, quinque post horis acinus rubescens conspiciebatur.

Quodeunque extracti aetherei, hunc modum parati, reliquum erat, admixto alcohol tractatum, deinde filtrò percolatum est: quo facto adeps in filtro resedit.

## B. Tractatio adhibito alcohol.

Rheum adjecto aethere tractatum tamdiu alcohol ope extractum est: quoad alcohol modo leviter etiam colore imbuatur. Cui extracto, quum aquam cociam adjecsemus, nulla initio exorta est turbidatio, verum tamen sub aere et calore sedimentum brevi post apparuit. Deinde extractum alcoholicum, adhibita calcii chlorati solutione alcoholica, praecipitare conati sumus: quod quum parum prospere cessisset, reliquo extracto plumbi acetici solutionem eo usque admiscuimus, donec nulla jam turbidatio oriretur. Sedimentum ita nobis oblatum coloris fuit subflavi albidi floccisque caseosis simile. Tum omnis massa filtro imposita est;

quo facto quod in filtro residuum erat, aquae ope dilutum hydrogenio sulphurato abundantè effuso, exposuimus, deinde singulis diebus plures peragitavimus, donec plumbum omne, ad formam plumbi sulphurati reductum, præcipitatum erat; tum denique omnem massam filtrò percolatam evaporavimus: qua in substantiam resinis similem ejusdem proprietatis, quam Schlossberger et Doeppi<sup>g</sup> in explorando Aporetino se animadvertisse tradunt, nascit suus. Quae substantia quum aquae ope excocta esset, partem ejus alteram solutam vidimus, alteram integrum relictam esse. Pars soluta, quum filtri ope separata esset, sub modico calore, admisso aere, eo usque evaporata est, quoad exsiccesceret: quae tractatio per duas ad tres hebdomades eadem ratione continuata est; qua in re semper denuo massae formabantur in aqua non solubiles:

Haec resinae copia, quam paulatim adepti sumus, hanc præbuit rationem: Quum resina laminæ platinæ imposta comburatur, nulli editi sunt vapores flavi coloris, neque, quum Benzoleo incoqueretur, vix ullum eidem colorē flavum induxit. Adhibito alcohol resina facile solvi potuit, adiectisque alcalibus, colorent edidit ex radio rubidum, nec tamen cerasis similem, qualis præsente acido chrysophanicō semper conspicitur.

### C. a. Tractatio adhibita aqua.

Unciae singulae et dimidia pulveris radicis Rhei Chinensis aquae ope extractae sunt, quoad aqua nullo jam colore afficeretur, deinde liquorem extractum a residuo separavimus.

1) Praecipitato plumbi acetici ope liquore extracto, sedimentum apparuit floccis caseosis simile coloris subflavi albidi: quod sedimentum filtri ope a liquore sejunctum hydrogenio sulphurato abundantiter effuso exposuimus; deinde remoto filtri ope plumbo sulphurato, liquorem, qui acidae erat reactionis, evaporavimus eoque modo massam resinosa macti sumus.

*Exper. 5.* Hujus extracti unam sumpsi dosin, quae 40 gr. substantiae Rhei respondebat; unde factum est, ut interjectis decem horis alvus aquosa dejecta est, accendentibus horborygmis levibusque doloribus colicis.

Pars residua extracti postremo oblati aquae ope soluta, deinde filtro percolata atque adhibito acido sulphurico tractata est; quo facto, quum turbidatio existet, liquorem iterum filtrationi subjecimus: qua in re residuum in filtro apparuit, quod admixto Kali caustici lixivio colorem ex rubro badium Rhei resinarum praebet, quodque, quum supra laminam platineam combureretur, vapores flavi coloris nullos emittebat. Li-

quor postremo filtratus, qui reactionis erat acidae, calcariae ope, donec neutralis evaderet, tractatus, deinde filtro percolatus atque evaporatus est.

(2) Residuum Rhei aquae ope extracti, ut ejus vim et effectum cognosceremus, antea exploravimus.

*Exper. 6.* Hujus residui quum gr. 40 sumpsissem, interfictis decem horis alvus aquosa dejecta est, praesentibus simul exiguis doloribus colicis.

Pars reliqua residui adhibito alcoholi tractata filtraque percolata est: unde evenit, ut in filtro pulvis ex cinereo albidos, qui ex calcaria oxalica, adjuncta substantia lignea, compositus videbatur, nobis objiceretur.

*Exper. 7.* gr. 40 hujus praeparati, quum sumpsissem, omni carebant effectu.

Evaporato, ut exsiccesceret, liquore alcoholic, substantiam macti sumus resinae similem, quae, quum laminae platineae imposta combureretur, ad Kali lixivium parem praehebat rationem atque resinae reliquae.

*Exper. 8.* gr. X substantiae resinae similis, quum in me sumpta essent, post octo horas alvum pultaceam eliciebant.

Quam ob rem ad instituendum aliud experimentum progressi sumus.

C. b. Tractatio adhibita aqua.

Jam singulae librae Rhei aquae ope tamdu tractatae a nobis sunt; quoad liquor nullo jam colore flavo tingeretur; deinde liquorem a residuo separavimus.

a) Ex liquore filtri ope separato, adhibita ichthyocollae solutione, acidum tannicum praecipitavimus, et quidem eo usque, donec addita illa solutione; nihil jam sedimenti appareret; deinde omnem massam filtro imposuimus, tam liquorem, quem inde dacti eramus, adjecto plumbō acetico praecipitatim, denido filtro percolavimus.

b) Residuum in filtro relictum, quam aquae ope dilutum atque hydrogenio sulfurato abundantiter effuso expositum esset, remoto inde omni plumbō, usque ad extracti consistentiam evaporavimus. Hoc extractum in aqua calida plane solvi poterat: quae solutio acide reagens sub calore modico, accedente aere, donec exsiccesseret, evaporata est: quam operandi rationem plures deinceps suscepimus; at nihilominus tamen ex qua vis nova solutione et evaporatione nullum unquam apparuit sedimentum, immo semper fere humor plane liquidus nobis oblatus est.

Exper. 9. Dosis hujus extracti granis XX Rhei respondens, quum a me sumpta esset, interjectis decem horis borborygmos levesque dolores colicos nec

non alvum fluidam provocaverat. Adiecto lixivio kali caustici, in urina reactio nulla apparebat.

Quum partem extracti, quod receperamus, in alcoholē solvere conaremur, praecipitatum apparuit, quod a massa soluta filtri ope separabatur.

Exper. 10. Hujus residui in filtro relictī, quām gr. XX sumpsisset, vix ullum potius effectum percipere.

Liquor filtro percolatus, donec exsiccesseret, evaporatus est; deinde novum de integro extractum nacti sumus.

Exper. 11. Hujus quoque extracti grana XX itidem sine ullo effectu sumpseram.

Partem alteram extracti aquosi acido nitrico paulatim superfudimus: qua in re liquor maxime effebuit, emissis simul acidi nitrosi vaporibus; residuum in lagena retorta relictum aquae ope exemptum atque filtro percolatum est.

Liquor colorē induit pulchrum, cerasis similem, residuum vero coloris apparuit subviridis flavi; ex utroque, quum admixta esset kali solutio, color ex flavo rubidus sese evolvit; residuum praeterea in ea solutione plane solvi poterat atque supra laminam platineam placide comburebatur, nullis editis vaporibus flavi coloris.

b) Liquor, quum adhibito plumbō acetico tractatus esset, filtro percolatus, itidem, ut plumbum ex eo amoveretur, hydrogenio sulfurato abundantiter effuso

expositus ac deinde usque ad syrapi consistentiam evaporatus est.

*Exper. 12.* gr. XX hujus massae tarde fluentis, quum sumpsisem, omni omnino effectu carebant.

2) Ut de vi et effectu residui Rhei aquae ope extracti satius mihi persuaderetur, quaedam etiam illius pericula instituta sunt.

*Exper. 13.* Dosis gr. XX effectum perquam exiguum praebuit, quum interjectis demum decem horis alvus pulvi similis, nullis fere exortis doloribus colicis, sequeretur. Adiecta kali solutione, in urina colorem rubidum, cerasis similem conspeximus.

Deinde idem illud residuum adhibito alcoholo excoctum, tum vero, ut erat fervidum, filtro percolatum est, donec paene omnino albesceret: quo facto liquorem separatim defudimus.

a) Ex hoc liquore fervido brevi post sedimentum resedit satis copiosum coloris ex radio flavescens: quod sedimentum, quum adhibito Benzoleo excoctum esset, crystalla edidit nitida pura coloris flavi, quae non erant nisi acidum chrysophanicum.

b) Residuum, quod postremo nacti eramus, ex calcaria oxalica, adjuncta substantia lignea, constare videbatur.

*Exper. 14.* Dosis gr. XL sine ullo effectu a me sumpta est.

**D. Ratio, qua inita acidum chrysopanicum distillatione sicca a me paratum sit.**

Tres circiter unciae resinae Aporetini, secundum methodum a Schlossberger et Doepping adhibita paratae, in lagena retorta distillationi siccae subjectae sunt. Vapores inde flavi se evolvebant densi satisque copiosi, qui totam lagenam retortam explebant atque tum in inferiore colli parte, tum in vaso anteriore, cui collum inseritur, adeo condensabantur, ut liquorem crassum coloris haddii reactionisque acidae efficerent: qui liqueret, quum ferrum chloratum ei adjiceretur, coloris evans ex caeruleo nigrescentis.

Tum liquorem crassum, quem modo diximus, aquae ope dilutum, adhibita baryta hydrata saturavimus, deinde adiecto acido carbonico eo usque tractavimus, donec neutralis appareret; tum denuo distillationi subjecimus.

a) Quodcumque ex instituta distillatione in vas anterius transierat, hanc praebebat rationem: Adiecto ferro chlorato, color apparuit ex caeruleo nigricans; argento nitrico admixto, quum minime fervori expeneretur, argentum in metalli formam redactum est.

b) Quodcumque in lagena retorta relictum erat, adhibito alcoholo excoxiimus, filtroque deinde imposui-

mus: in quo postea substantia crystallina flavi coloris restabat, quae, adjecto lixivio kali caustici, colore rubidum cerasis similem, adjecto ferro chlorato, colore hadium praebebat.

Quo facto, acidum chrysophanicum, quod inde nacti eramus, cum acido chrysophanico, in experientia superioribus oblati, permiscuimus atque addito Benzoleo excoxi mus, deinde statu fervido filtravimus, tum Benzoleum, adhibita distillatione, sejanximus. Quodcumque in lagena retorta resederat, admixto alcoholi excoxi, deinde, ut erat servidam, filtro porcolatum est: qua instituta operatione; quem liquor fervidus refrigericeret, sedimentum largius excidit, quod, quum a liquore sejunctum atque aenuo Benzolei ope purificatum esset, substantiam nitidam microscopico-crystallinam coloris flavi aurei nobis objiciebat. Quaecunque autem facta sunt conamina, ut substantiam illam in crystalla quam maxima redigeremus, ea omni eventu carebant.

*Exper. 15.* Sumptis gr. VIII acidi chrysophanici nullum percepimus effectum ad alvum laxandum, nec nisi post quinque horas, adjecto lixivio kali caustici, levis in urina reactio apparuit, quae tamen augebatur, deinde 24 demum post horas evanuit. Urinam per idem tempus emissam collegimus, collectam evaporavimus: deinde quidquid resederat, in alcoholе solutum et rursus evaporatum, adhibito aethere, tractavimus. Quo facto, quodecumque in aethere solutum non erat, adje-

cto Benzoleo excoxi mus atque Benzoleum evaporationi dedimus. Tum massam amorpham coloris rubidi fluorescentis, quam nacti eramus, in aethere solvimus, solutam evaporavimus: qua inita, ratione massa tarde fluens coloris ex flavo rubescens, ex qua, ipso interjecto longiore tempore, nulla secernebantur crystalla, nobis oblata est. Quae massa, quum ammonium causticum et kali solutio ei adjicerentur, coloris facta est sordidi violacei, quimque supra laminam platinam combureretur, explosa evanuit, nullis evolutis vaporibus flavis, nec nisi copiam satis magnam carbonis nitidi reliquit.

Tum acidum chrysophanicum etiamtum purum, adhibito acido nitrico, aliquamdiu excoxi mus, deinde acidum nitricum, quod supererat, evaporationi dedimus. Quo facto residuum nacti sumus, quod, quum in alcoholе solveretur, colore cerasis similem, in Benzoleo colore helvolum, in aqua fervida eundem colore rubidum praebebat, in aqua autem frigida solvi non poterat, adjecto kali coloris apparebat violacei: Tum residuum, quod modo descripsimus, in aqua ferventi solutum, adhibito natro carbonico tractavimus atque evaporavimus; neque tamen, quum ea ratione uteremur, alla adepti sumus crystalla, neque magis etiam, quum residuum in alcoholе solutum evaporassemus.

Ut cognosceremus, num fortasse adhibita reducendi ratione acidum chrysophanicum rursus provocari posset, acidum muriaticum admiscuimus frustum

que zinci, radendo purificati, injecimus; unde massa illa coloris facta est badii violacei et adeo nigricantis: quae omnia aquae ope soluta, deinde filtro percolata sunt. Pars residua in filtro relictæ, quae nigri erat coloris, adjecto lixivio kali caustici nihil cepit mutationis atque inter comburendum explosa evanuit; unde significari verisimiliter poterat, nitrosubstitutionem hoc in praeparato incidisse. Liquor filtro percolatus coloris rubidi apparuit, idemque adjecta kali solutione nihil mutatus est.

## Conclusio.

Postquam igitur tum rationem ac viam, qua Rheum tractaverim, tum experimenta de substantiis inde oblatis ad explorandam earum vim et efficientiam facta proposui, jam ad explicanda ea progrediar, quae hac inita tractandi ratione edoctus sum.

Cognitum a me est, partes Rhei efficaces in aethere solvi non posse; at nihilominus tamen nobis constigit, ut adhibito aethere adipem, quem in Rheo inesse Schlossberger et Doepping<sup>7)</sup> etsi haud omnino negarunt, at minime tamen demonstrarunt, ex Rheo extraheremus. Sententia eorum, qui adipem nentiquam in omnibus Rhei generibus reperiri statuunt, impu-

gnari non potest; nam radicem Rhei chinensis solam tractavimus, neque facile quisquam negaverit plantarum indolem ut constitutionem propriam ex crebris momentis, ex climate, solo, aliis pendere et modificari posse.

Sed materia Rhei efficax et in alchohole et in aqua solubilis redditur, et plurima quidem ejus pars, uti experimenta 3, 5, 9 testantur, adhibita præcipue aqua, ex Rheo extrahi potest. At nihilosecius neque alcohol, sicut et ipse Dr. Meykow admonuit, neque aqua per se efficere possunt, ut materia illa efficax omnino, i. e. usque eo extrahatur, donec residuum omni efficacitate orbetur. Praeterea in explorando Rheo res quaedam admodum propria et peculiaris nobis visa est; nam quum partem in aqua solubilem extracti alcoholici (vid. B.) calori, accidente aere, exponeremus, corpora resinosa parum solubilia semper formari vidimus, quae tamen, instituta pari tractatione extracti aquosi, acido tannico orbati, animadverti non poterant (vid. C. b.). Quum vero acidum tannicum et in alchohole et in aqua facile solvi possit atque ad decompositionem semper se proclivem præbeat, quinque præterea ex resinis, a Schlossberger et Doepping descriptis, acidum chrysophanicum extraxerimus, illud satis prope est, ut ipsas resinas illas, quas modo diximus, materias ex decomposito acido tannico productas, adjuncto acido chrysophanico, esse statuamus,

quamvis ea res disquisitionis ulterioris, quam quae a me instituta est, etiam indigeat.

Quodsi, quales sint ad alvum laxandam effectus praeparatorum, quae nacti sumus, amplius persequimur, satis inde intelligi poterit, acidum tannicum, quod in Rheo insit, ad praestandum effectum nihil valere, quum extractum acidi tannici expers, quod recepimus, si cum extracto acidum tannicum continente comparemus, effectu suo non minuatur. Immo potius idem fieri videntur, quod et ipsi Dres Meykow et Liebner de extractis alcoholicis jam tradiderunt, effectum extractorum, quae deinceps nacti eramus, eo magis minutum esse, quo ampliori fissioni substantias resinosas subjiceremus, usque dum postremo illae omni effectu carentes apparerent. Calcariae autem oxalicae in Rheo contentae omnis omnino efficacitas abjudicanda est.

Experimentis ante institutis innixi adducimur, ut effectum acidi chrysophanicci, quamvis discipulus quidam Schröffii<sup>8)</sup>, quum gr. VIII ejusdam acidi sumpsisset, per quinque dies alvo liquida laboraret, nullum omnino esse statuamus; contra ea acidum chrysophanicum in urinam transire contendimus, id quod Schlossberger et Doepping addubitant. Prae-

terea persuasum nobis est, licet substantia Rhei sumpta atque etiam praeparata interjectis 8–10 horis vim laxandi praestarent, reactionem tamen in urina jam post 4 horas satis manifestam fuisse.

Neque minus gradus reactionis in singulis Rhei praeparatis obviae (cf. Exper. 8, 9, 13), si illum cum vi laxandi comparemus, ullam rationem rectam praebere videtur.

Conamina ea, quae facta a nobis sunt, ut tractato acidi nitrici ope tum extracto aquoso, quod acidi tannici et chrysophanicci expers est, tum ipso acido chrysophanico, analogiam, si qua inter materias ex utriusque oxydatione productas existaret, reperiemus, vel fortasse etiam ex oxydatione extracti aquosi acidum chrysophanicum elicemus, vix ullos nobis eventus praebebant; nam exente disquisitione producta nobis oblata sunt, quae non modo inter se, sed cum iis etiam, quae Dr. Meykow, eadem adhibita ratione, ad explorandum extractum alcoholicum a se paratum nactus fuerat, maxime variarent.

Eventibus iis, quos ex tractato acidi nitrici ope acido chrysophanico adepti sumus, nos quidem adducimur, ut facta comparatione statuamus, substantiam ex urina acidum chrysophanicum forsitan continente extractam (vid. Exper. 15), si ejus rationem, qualis sit ad alcalia et inter comburendum, respiciamus, multo magis ad acidum chrysophanicum acido nitrico tracta-

tum, quam ad acidum chrysophanicum purum accedere. Nèque magis ex eo, quod nulli crystalli, neque inter comburendum ulli nobis oblati sunt vapores flavi — quin duae hæ res ex praesente in urina adipe pendere potuerint — opinio eorum, qui acidum chrysophanicum per urinam integrum neque decompositum excerni testantur, nondum omnino refutatur. Adipe enim prohiberi, quominus vapores flavi coloris inter comburendum evolvantur, instituto experimento demonstravimus.

Quum enim in singulis guttis olei provincialis aliquantum acidi chrysophanici puri solveremus, solutum supra laminam platineam combureremus, nullos inde nacti sumus vapores flavi, sed carbonem nigro colore nitidum: quod quidem præparatum, nullo edito explodendi strepitu, fervore paulatim consumebatur: quæ res, quum acidum chrysophanicum purum adhibito acido nitrico tractaremus, observata non est.

Admonuerim etiam nobis non contigisse, ut Emodini ab acido chrysophanico sejunctionem, quam viri doctissimi Warren de la Rue et Hugo Mueller fieri posse tradiderunt, prospero eventu perficeremus.

Hinc igitur non potui, quin satis esse arbitrarer, etiamsi efficacem Rhei partem non inveneram, at materiam certe simpliciorem, quam resinas a Schlossberger et Doepping descriptas, et quidem ex ex-

tracto aquoso me parasse; nec nisi aliud in optatis mihi est, quam ut alii prospere successu id, quod spectaverint sibique proposuerint, ex commentatione sua consequantur, unde fides muniri possit, partem Rhei efficacem simplicem, de qua novissimo tempore ambigi videbatur, re vera existere.

## ***Theses.***

---

- 1)** Vapores flavi, in comburendis Rhei resinis exorti, non sunt nisi acidum chrysophanicum.
  - 2)** Elementum Rhei efficax separari non potest.
  - 3)** Effectus Rhei tantummodo ad partem inferiorem tractus intestinalis pertinet.
  - 4)** Crebrior forcipis obstetricii usus magis quam rarer excusandus est.
  - 5)** Ad efficiendam cruentam oris uteri dilatationem maxime idoneum est instrumentum a Dupuytren inventum atque nomine Cystotome caché significatum.
  - 6)** Nullum est certum mortis signum nisi decompositio atque putredo corporis.
-